

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Demosthenis Et Aeschinis, Principum Græciæ Oratorum Opera

Demosthenes

Aureliae Allobrogum, 1607

Vorwort

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1565)



A D N O B I L E S E T M A -  
G N I F I C C S V I R O S , V I R T V T E E T A V -  
T O R I T A T E P R A E S T A N T E S , H A I N R I C V M R E C K -

L I N G E R V M C R I S T O P H O R V M P E I T I N G E R V M D V V M V I R O S : E T A D

*Consules ac Senum inclytæ Augustanæ Reipublicæ : dominos ac patronos summa  
obseruitia colendos, Hieronymi VVolfij in Demosthenem &*

*Aeschinem Gracolatinos, præfatio.*



Itanta esset in me sapientis eloquentiæ facul-  
tas, viri amplissimi, domini & patroni colendi,  
quantum studij & laboris ab ineunte ætate in  
huncvsque diem conferre in eam rem nunquã  
destitit: nihil prius mihi esset, aut magis ex offi-  
cio meo, quam vestram erga me beneficiã  
celebrare, & iustis efferre laudibus cum vos, tũ  
Rempublicam vestram. Nunc, cum sapientia  
Dei donum sit: & oratores, vt & poëte, non tam  
fiant, quã nascantur: meo me (vt prudenter  
Horatius præcipit) modulo ac pede metiens, nihil tale conari audeo: cum  
præsertim vestri vrbs, toto terrarum orbe celebris neque meis, neque  
cuiusquam alius præconiis egeat: & vos pro vestra sapientia, omnem offi-  
cij fructum, ipsum officium præclare iudicetis. Illud tantũ dico, vestra libe-  
ralitate & munificentia, id mihi contigisse, quod ab ineunte ætate, præ aliis  
rebus omnibus, in votis semper habui, ocium philosophicum: in quo nec  
honestæ deesse, & publicè, vt spero, utilis augendæ ornandæque illustris Bi-  
bliotheca vestræ & scholæ (in quam non exiguos sumptus facitis) pro virili  
mea tuendæ & adiutandæ, occupatio: neque calamo & scriptis complures  
per Europam studiosos adolescentes erudiendi occasio. Multa sunt egregia  
vestræ ciuitas ornamenta: Respublica æquissimè & prudentissimè constitu-  
ta: publica priuataque magnificentia, hospitalitas, urbanitas, beneficentia in  
ciues tenuioris: de omnibus bene merendi studium, lædendi neminem, ni-  
si vis propulanda sit: contra quam & mœnibus, & auxiliis, & comœtu, &  
omni armorum genere, ita muniti estis, vt neque laceffatis quenquam, &  
nihil magis quã pacem, concordiam, tranquillitatem, bonorum omnium  
amicitiam vtis ac precibus à Deo Opt. Max. expetatis. Quæ tametsi ex-  
cellunt, & ngis incurrunt in cuiusvis generis hominum oculos & sensus: ta-  
men erudi viri, & omnia vero iudicio ponderantes, illud non in minimis  
vestris laudibus ponunt: quod, vt olim Athenæ, Alexandria, Tarsus, Berytus:  
& nostra æte, Bononia, Lutetia, Argentina, complures aliæ illustres ciuita-

IN DEMOSTH. ET ÆSCHINEM GRÆCOLAT.

tes, Musis etiam & Gratiis, hoc est studiosis & doctis hominibus in vestra, verè augusta vrbe, non hospitium modò, sed domiciliu etiam esse voluistis. Etsi autem non ignoro, conqueri multos, neque fortissis absque causa, tum de moribus doctorum quorundam minus probatis: im scribendorum librorum nullum esse finem: quorum plerique nihil nisi ut ingenia occupent, rebus melioribus vacatura: aut Rempublicam Christianam, alioqui rerum suarum satagentem, magis etiam perturbent: mihi tamen de me dicere neque necesse est, neque decorum, vigesimum iam annu in hac vrbe, sine cuiusquam, vt opinor, boni viri vlla querela degenti: & nearum scriptio- num hætenus longè aliam fuisse rationem, omnibus doctis candidè que iudicantibus, perspectum & exploratum esse, confido. Neque enim mea somnia chartis illeui: neque rixarum aut turbarum quicquam medi: neque infanabile scribendi cacoëthes (quod tenere multos, in eorù que ægro corde fenescere Satyricus queritur) impetu quodam animi temerario atque cæco, secutus sum: sed in conuertendis & declarandis vetustis atoribus, seculo- rum omnium & nationum consensu approbatis, sedulo nec sine successu mediocri (quem, vti par est, diuinæ benignitati acceptum rfero) elaborauit. Id quod toties repetita in Germania, Gallia, Italia lucubrationum mearum editiones testari poterunt. Modus fortassis à me desiderari queat, & ignora- tio tollendi manum de tabula, & superuacanea mei ipsius nocturnis diurnisq; laboribus afflictatio reprehendi: cum & ætas & valetudo mea, quietem po- tius atque ocium postulant. Vtinam verò non quidem esse ferrea & corporis & animi patientia, quæ Catoni Censorio tribuitur: rarissimique ex- emplum est: sed illa tantum vel animi constantia & tolerantia, & vigore mentis atque ingenij vi, qua plerique olim & Græcorum & Romanorum proce- res claruerunt: qui, quæ hominibus studiosis atque doctis, nostra ætate, gra- uis & laboriosa videtur occupatio, siue curandæ rei familiaris, siue lectionis atque scriptio: eam illi animorum leuationem atque oblationem iudica- runt. Quod ita esse, Xenophontis, Tucydidis, Lycurgi, M. Terentij, Varronis, C. Iulij Cæsaris, Ciceronis, Silij Italici, Boëtij monumenta, & complurium alio- rum exempla, testantur tum enim illi se occupatos esse, & negotiis implica- tos putabant, cum aut amicos & clientes suos defendebant, ut consiliis at- que armis Rempublicam tuebantur. Mea verò, non eò tantum, quòd mihi vires quidem corporis exiguæ, ac propè nullæ ingenium verò tenue atque infirmum contigit, longè alia ratio est: sed ob illud etiam, quòd illis, patrio sermone scribentibus, in procliui atque expedita fuerunt omnia: cum nos, peregrinis linguis, è mutis præceptoribus, cognoscendis, non parua ætatis partem consumere necesse habeamus. Itaque non recreandi animi ergò, le- uandive tædij causa, me scriptitare: sed quia facere aliter, sana (quantula- cunque illa est) existimatione mea, nequeo: & quas sustineo æumnas, penè Herculeas videri mihi, seque mea plurimum me deceptum esse, ingenuè confiteor. Nam cum annis abhinc quatuor & viginti, non tam nei voluntas, quàm in expectata quædam calamitas, & rerum meliorum spe, in typogra- phicum pilstrinum me coniecisset: parui temporis molestia perpetuam stu- diis meis securè perfruendi facultatem me redempturum opinabar. Verum quantò aliter euenerit: nemo ignorat, qui aut bibliothecam vestram inspicit, qua meas lucubrationes dignari estis, aut bibliopolia scrutatur. Neque verò hæc gloriandi causa scribo (quo quid ineptius?) aut ignoratiæ tenuitatis

meæ

HIERONYMI VVOLFII PRÆFATIO.

mea (quod enim difficile esse putatur, nosse sese, vtcunque didici: studui certè quidem) sed vt fortunam meam narrem, quæ per labores non tam iucundos & lucrosos, quàm necessarios & inuitabiles, ad id ætatis & valetudinis me, nihil tale cogitantem, prouexit, vt, cum maximè philosophandum esset, philosophari parum liceat, aut etiam libeat. Neque verò ego solus is sum, quem bonæ suæ rationes fefellerint: sed siue frustratio siue calamitas hæc cum multis mihi est communis, me longè sapientioribus. Demosthenes Pæaniensis (cuius eloquentia quæ sine singulari prudentia & eximia virtute suum tueri nomen haudquaquam potest) quondam per Europam & Asiam celebrata fuit: & nunc etiam omnibus omnium nationum eruditæ admirationi est, dum suos Athenienses, ignauia & luxu eneruatos, ad recuperandum Græciæ principatum, quem ad annos LXX. tenuerant, primùm clade Hellepontica vnà cum libertate amissum: deinde Canonis industria receptum, nec multò post à Philippo Macedone callidè interceptum, excitare studet: inter alia, hoc quoque argumento vitur: quemadmodum ipsi eos ciues suos, qui Rempublicam semel gerendam susceperint, in ocium se conferre vbi voluerint, non patiantur: sic & ipsis, qui totius Græciæ patronos se professi fuerint, ab eadem administranda, defendenda atque ornanda recedere, suumque negocium agere, esse nefas. Consimile quiddam (etsi in magna dissimilitudine) viri ornatissimi, domini & patroni colendi, & ipsi mihi accidisse videtur: vt semel Græcis Oratoribus, Philosophis, Astrologis, Historicis ad interpretandū susceptis in ea prouincia, neque spe quæstus (qui aut nullus est, aut certè non tantus, vt vel extremæ notæ quispiã notarius eadē mercede illos describēdos susciperet) neq; gloriolæ cupiditate, instar Crocodili se persequētes fugiētis, fugiētes persequētis: sed fatali quadam siue necessitate, siue calamitate, penè consenuerim: & vix hoc demum anno ab Atheniensi Republica (quæ peculiare olim seruos habuit, quos *δμοσους* vocabant) velut in libertatem assertus existimari queam. Et quidem graui certamine defunctus, bellum difficile ac diuturnum confecisse mihi videor, qui Demosthenem, Æschinem, Vlpianum Rhetorem, cæterosque his adiunctos autores, ita emendatos, declaratos, illustratos & exornatos (quantum in me quidem fuit) exhibuerim, vt obtrectatores atque inuidos meos hortari non dubitem, vt, si hæc mea non probant, ipsi proferant meliora. Qui etsi non pauci neque parum molesti mihi fuerunt: tamen, si cum iis comparentur, qui bene de me sentiunt, meque & mea magnificiunt & amant: faciliè, vt opinor, apparebit, & maiorem & meliorem partem stare à nobis: eaque inter hos & illos existet proportio, quam apud Homerum Agamemnon Troianorum & Græcorum esse affirmat: vt, si Græci in decurias conuiuiorum describantur, & singulis decuriis singuli Troiani ministri assignentur, complures decuriæ propter illorum paucitatem horum multitudinem, sint pincerna carituræ. Neque vlli eorum, qui me reprehendunt & exagitant, non modò nihil elegantius & splendidius: sed (in eodem quidem scribendi genere) nihil prorsus intra quinque totas olympiadas, longissimum, in vitæ humanæ breuitate, spacium, ediderunt. Vt igitur illi verbis asperioribus me accusant & vituperant: ita factis fide dignioribus & absoluunt & laudant: & publicè quasi proclamant, suis calumniis non habendam esse fidem, neque condemnandum aut contemnendum esse quenquam, nisi causa percognita & satis explorata. Interim verò me per annos complures hoc opus ita noctes diésque occupa-

IN DEMOSTH. ET ÆSCHINEM GRÆCOLAT.

uit, vt non multò suauiore vitam egerim, quàm ij, quos Dionysius tyrannus in Latomias coniciebat: ita certè quidem defatigauit: vt qui mihi post annorum XL seruitutem, ocium mediocre, quod vestra munificentia mihi fecit, honestoque stipendio decreto, hæc elaborandi potestatem & facultatem dedit, inuiderit: omnes se Zoilos, omnes Momos, maledicentia & obrectandi libidine superare fateatur. Cæterùm hæc qualia & quantulacunque sunt, non tam mea vobis, amplissimi viri, offero, quàm vestra vobis restituo. Nunquam enim conari ea potuissem, nisi vestra benignitas, tanquam salutare quoddam fidus, mihi affulsisset. Neque verò vel primus huius operis patronus, in cuius id nomine iam tertium apparuit, vel quisquam alius, leuitatis arguere me poterit. Nam cum ille in prædia sua se recepturus, me quasi emancipatum è familia, vestræ fidei & liberalitati commisisset: vnà mecum etiam ea vobis tradidit, quæ Musæ meæ sub vestro patrocínio effecissent. Deinde ita prodit Demosthenes (modò operæ typographicæ non de integro deformarint ea, quæ ego summo labore expoliui. longè à prælo absum, & aliàs alios codices & chartas typographo misi) sic igitur inquam (quod quidem in me fuit) se spectandum Demosthenes cum non aspernando comitatu præbet,

IAM POSITIS NOVVS EXVVIIS NITIDV'SQVE IVENTA,  
& tot auctus accessionibus: vt eundem esse, vix quisquam agnoscat. Hoc quidem affirmare ausim, maiore molestia, penè vnus orationis recognitionem mihi constituisse, quàm totam primam interpretationem siue, aut iam vrgens, aut certè aduentans senectus, laboris sensu nunc magis afficitur: quem tum iuventutis vigor leuabat: siue aliud est, quicquid in mentem inciderit, æstu quodam animi effundere: aliud scribere meditata, & singula penè verba, quasi statè ra aurificis expendere atque examinare. Neque tamen (quod sæpe testatus sum, & nunc postremò testatum esse volo) Demosthenicam eloquentiam expressisse me confido: qui & autoritate sua caret (quæ quantum in dicendo valeat, quis nescit?) neque Lectores ita attentos habere potest, qui sua nihil interesse censent ea, quæ scripta sunt, vt fuerunt auditores, quorum & dignitas & salus agebatur: elocutione item & actione destituitur (cui & primas ille & secundas & tertias dedit) sed inuentionem & collocationem tam rerum, quàm verborum appendere, fide optima, & perspicuo puroque orationis genere repræsentare, sum conatus. Quæ & ipsa in sua natiua lingua multò sunt & magis propria, & significantiora, & iucundiora, & illustriora: eaque de causa interpretationi meæ Græcum archetypon est additum: quo huius ornatissimæ & copiosissimæ linguæ vel periti vel studiosi fruuntur. Nec tamen illud ipsum qui legent, ita miraturi sunt Demosthenem (id quod Æschines, emulus & aduersarius eius dixisse fertur) vt si ipsum audissent. Quantò alia res fuit, cum M. Tullius Consul, purpuratus, in sella curuli cum maiestate assidens, ab omnibus bonis pater patriæ, & quasi alter vrbs conditor habitus, solitudinem de republica summam, salutis verò suæ propè neglectum præ se ferens, in summo orbis terrarum concilio (qui non tam senatorum, quàm regum confessus videri potuit) omnium oculis atque animis in ipsum intentis, consilium, auxilium, in incolumitatem ab eo expetentium, contra coniuratos maxima suauissimæque voce, cum singulari dignitate actionis, motuque & gestu corporis totius decentissimo, perorauit: quàm cum eadem illa oratio nunc vel tacitè ab ocioso quopiam & securo percurritur: vel à rhetorculo, adèò nullum animi motum & dolorem adhibente,

vt etiam

HIERONYMI VVOLFII PRÆFATIO.

vt etiam sententias, earumque circumscriptiones, vel ex imbecillitate spiritus, vel ob artis pronunciandi inscientiam diuellat atque disperdat, sine vlla varietate pro suggesto recitatur? Neque verò vobis, viri amplissimi, qui plerique in Italia, Hispania, Gallia, partim studiorum causa, partim ob grauissima & publica & priuata negotia versati, homines eloquentes, & sacros oratores concionantes audiuiſtis, vlla tali consideratione & fictione est opus: ipsi recordamini, vt illi soleant non mulierculas tantum, rudemque plebeculam permouere: sed homines etiam graues & constantes omni varietate affectuum agitare: nunc excutere lacrymas: nunc easdem quasi abstergere: modò iram extimulare: mox placare irato, & flectere ad commiserationem: iam deprimere ad inferos: paulò post velut extra sese raptos supra nubes attollere: vt in paradiso, & illustrissimo summi cœli amphitheatro, incredibili gestientis animi lætitia & exultatione versari sibi videantur. Sed ad Græcum archetypon redeo: in cuius mendis si non tollendis, at minuendis, aut saltem iudicandis, quid iam olim præstiterim, doctis non est ignotum: & tamē eiusmodi id fuit, vt pro laude ingenij ac diligentia, temeritatis in diuinando, & corruptelæ crimen mihi à nonnullis, improbioribusve ne an stultioribus dicam, nescio: impingeretur. Nunc verò xv. codicum inter se collatio, id quoque crimē diluit, cūiecturis meis plerisque scriptura vetere comprobatis: & iis, quæ siue librariorum incuria prætermiſſa, siue codicum mutilatione deleta, nullius ingenio addi poterant, completis. Et tamen illi quoque tot, tamque v. tusti codices, nonnullis locis parum auxilij tulerunt: quæ loca mihi pleraque plana & aperta fecit meum quoddam diuinationis genus. Quod cuiusmodi sit, quaeritis? Neque Delphici tripodis simile, neque auspicioꝝ & augurioꝝ, neque aliarum siue superstitionum, siue obseruationum veterum, sed simplex & naturale: & nemini docto & sagaci ingenio prædico, negatum. Quod igitur illud est? Artis Grammaticæ cognitio accurata, multa & diligens optimorum scriptorum lectio, quorum alij alios declarant: styli autoris obseruatio: animus in sententias non minus, ac penè magis etiam quàm in verba intentus: eorum, quæ antecedunt & sequuntur, inter se comparatio: ea denique persuasio, quicquid vel in verbis absonum, vel in sensu frigidum appareat, id non à viris diligentissimis, prudentissimis, disertissimis scriptum: sed à negligentibus, imperitis, temerariis librariis esse deprauatum. Habeo etiam animo meo consignatas notas quasdam, & ex animaduersione varia scripturæ quasi vestigia impressa, quæ illos in errorem duxisse videantur. Qua de re alibi egi vberius. Nunc ad manuscriptos codices redeo: inter quos is, quem vestra Bibliotheca suppeditauit, antiquissimus, & in plerisque optimæ fidei, sic excelluit, vt principatum sibi meritò vendicet. Quò minus autē vsus illo iam pridem fuerim: minutæ & exoletæ literæ, quas, nec speculis adhibitis, perspicere potui, obstiterunt. Tandē in mentē venit M. Simonis Fabricij, mei collegæ, viri doctissimi, & in Græcis literis exercitatissimi: quē, cū acie oculorū nō minus, quàm ingenij acumine pollere scire: rogavi, vt periculū faceret, nūquid ex illo fructus capere possemus? In quo ille, p̄ nostra necessitudine alacriter morē mihi gessit, susceptoq. negotio, tantū volumē celeritate mirabili pellegit, & singulari sagacitate oēs varietates deprehēdit, notauit, excerpſit, marginib. impressi codicis ascripſit, additis etiā scholiis, quæ nō ingrata, neq. inutilia *ταῖς φιλιλλισσι* fore spero. Qui vnā mecū tā illius industria, q̄ vestrae beneficentiæ se debere fatebuntur. Erat hīc aliquid dicendū de laudib. Demosthenis: nisi is & ipse lectori sui

IN DEMOSHT. ET ÆSCHINEM GRÆCOLAT.

studio abundè se commendaret: & in promptu essent Ciceronis & aliorum de illo elogia: & meam infantiam viri eloquentissimi & celeberrimi claritas repudiaret. Vnum igitur hoc superest, amplissimi viri, domini & patroni colendi, vos vt orem, vt postremum hoc opus meum, quod epitaphij loco mihi esse volo (nam si qua fortè alia secuta fuerint, ea nihil ad hoc esse videbuntur) pari humanitate accipere dignemini, qua commentarios meos Ciceronianorum libellorum, anno abhinc septimo, vestrae bibliothecae splendore non indignos iudicastis: meque ministrum vestrum & clientem obseruantissimum (ingrauescente aetate & valetudine, vt solet, subinde labascente, & ruente in deterius) commendatum habere pergatis: ab eoque mei defendendi ordinadique studio, nec aut inuidorum calumnijs (quas quis vnquam cauere potuit?) aut imperitorum hominum ineptijs (quas à grauitate & sapientia vestra negligi & repudiari certò scio) deterreamini. Etsi enim apud nonnullos praesentia mea, & simplicitas, atque ab ostentatione & pompa abhorrens animus, vitaeque solitaria, minuunt famam: tamen nec exteræ nationes Vvolfium ignorant, & posteri scient: & studiosi iuuenes, doctique homines, vestram in me liberalitatem ac beneficentiam celebrabunt. Quo minus autem munus hoc meum ab amplitudine vestra repudiatum iri putarem: cum vestra humanitas facit, D. Paulo autore, tanta virtus, vt eam in Deo Opt. Max. cum primis celebret: tum collegarum vestrorum D D D. Matthæi Vvelferi, Io. Baptistæ Hainzelij, Io. Matthæi Stamleri, ornatissimorum virorum, neque à Musis & Gratijs abhorrentium, autoritas, consiliique mei comprobatio. Valete, publicè & priuatim incolumes, ac perpetuò florentes. Ex augusta vestra vrbe: quam Ptolomæus Vindelicam, Rheticam alij Augustam dici volunt. Idibus Augusti, natali meo. Anno restitutæ humano generi salutis.

M. D. LXX.

TOY